QVÆSTIO MEDICA
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS NONA MENSIS IANVARII.
M. GILBERTO PVYLON Doctore Medico, Moderatore.

760

An à spirituum influxu pupillæ dilatatio?



CVLVS geminus, lucidus, aqueus, ἄρρηνος, in sublimi loco & anteriore, velut speculator constitutus, corporis affectus & animi motus, putà amorem, iram vt & pulsus prodit, vitæ index, mortis τεκμήριον, non ἀσφυξία, ex tunicis quatuor conflatus est, humoribus tribus, cerebri productione, ligamento, venis, arterijs, neruis duobus, non ob mollitiem sensu, aut propter duritiem motu præditis, quorum origo vna, vsus varius: ex his aptè connexis & colligatis, idoneamque conformationem & temperiem sortitis, αἰσθητήριον exurgit reliquis antestans non necessitate, sed vsu, dignitate & fabrica, quâ melior excogitari nulla potest, vt κρυσταλλοειδὲς ὕδωρ διαφανὲς, λαμπρὸν, καὶ καθαρὸν, ἀραχνοειδοῦς tunicæ opera præcipuum visus instrumentum, propria sensibilia exactè percipiat, minùsque externis & internis pateat iniurijs: ideoque situm est in medio oculi, vitreo humori, à quo alimentum mutuatur, vt hic amphiblistroide, parte posteriore ἀσκέπαστον καὶ γυμνὸν χιτῶνος innatat, anteriore propria tectum tunicâ humori aqueo ἀψύχῳ adhæret, vtrinque χοροειδεῖ mediante ciliari ligamento annectitur, quod araneæ instar corneæ, tenui, pellucidæ, ἀφλέβῳ καὶ ἀχρόῳ alimentum suppeditat, vt χοροειδὴς κερατοειδεῖ. Tres humores obuoluunt tres tunicæ; adnata nec parte posteriore, nec qua iris efformatur, cornea vtrique, vt & ῥαγοειδὴς, nisi qua pupillam constituit, cuius nigrities interna, innata, πυκνῶσις ὄψεως θέαμα ἰατήριον, lumen debile conspicuum reddit; color verò externus in homine varius, non in cæteris animantibus, adscititius est. Mala oculis occursantia propulsant frontis cliuosa protuberatio, genarum non indecens tumor, salubre palpebrarum tegumen, apta ciliorum leuiter inflexorum series & superciliorum mutuò sibi ipsis concidentium non inconcinna arcus in modum constructio.



ISIO propria oculi actio, ἀκαρὴς, duplex est; distincta, quę per radios fit directos; indistincta, per obliquos ab axe pyramidali dissitos, quos refringit ad perpẽdicularẽ cornea, & à perpẽdiculari albugineus humor: harũ refractionum defectu visa non secundũ situm apparerent, sed dextra in sinistris, & contrà, vt à diuerso pupillę vtriusque plano res vna gemina (vitium strabonibus familiare, & ebrijs, quibus vertigine tectum ambulat) cõpresso oculo igneus fulgor circularis perimetri ideam referens, conspicitur. Ad visionem concurrunt organum, in quo residet potentia visiua, quam etiam circa proprium obiectum errare contingit, spiritus, obiectum per emissitias sui imagines ἐνεργητικούς, reales non formales & mediũ illuminatum. Obiectum duplex, vtriusque eadem species, proprium & cõmune, hoc quintuplex motus, quies, numerus, figura, magnitudo: illud lux à lumine essentialiter distincta, & color cùm externus, tùm internus per lumen perspicui actum. Color triplex est verus ex varia opaci, perspicui & lucidi permixtione genitus; apparens, ex varia luminis refractione & reflexione; & notionalis, qui è materiæ fæce liber, licet ex eius potentia luminis vi eductus, ἐν τῷ γίνεσθαι duntaxàt suam habet essentiam.



D visum & sensum quemuis αἰσθητηρίου καὶ αἰσθητοῦ κοινωνία existat necesse est, ità oculus omnium visibilium est forma, vt intellectus intelligibilium: hæc per species visiles ab obiecto transmissas, quarum receptio in diaphano, motus per diaphanum, ideo cornea tunica pellucida tenuis, lęuis & distenta; ῥαγοειδὴς rotundo ac satis exiguo foramine peruia, modò ampliori, modò angustiori pro vario motu, quem excitat parcior vel vberior spirituum influentium copia, vnde clauso vno oculo alterius pupilla dilatatur, vehementioris vero luminis aut albedinis appulsu oculus occęcatur: spiritus quippe corporei copiosi si fuerint vueam distendunt, quę, vt eorum motui sequax magis esset, licet retrò neruo optico, ἀμφιβληστροειδεῖ & corneæ tunicę ad iridem vsque adhęreat, anteriùs vndiquaque libera est, & eam tenuis humor continuò irrigat, cuius inopia γλαύκωσις (προβεβηκόσι à suffusione vindicatorum & senum vitium) vt cornee corrugatio, obscuri visus causa, nec non τῆς κόρης στενοχωρία oritur, quę natiua si fuerit, visus aciem iuuat; contrà vero, quę morbo contingit, vt & ὑποσφάγματα diastole vanis. Ruptionis periculum, quod à motu impendet, arcet vueę iuxta pupillam crassities.



ARTIVM corporis motus duplex est, προαιρετικὸς & naturalis, mixtus nullus: ille musculorum ministerio peragitur, vt oculorum, quem iuuant & velut perennant adeps circumfusus & glandulæ ad vtrumque canthum collocatę, quarum vtrinque vna, iugis lachrymarum fons est, has dolor cogendo ciet, gaudium laxando: hic, diastole & systole definitur: diastoles non vna est causa; interdum facultas partibus insita, qualis est cerebri, cordis (in fœtu otiantis) & arteriarũ non simultanea διαστολὴ vt nec ἐπιφύσεων σκωληκοειδῶν; interdum humoris, aut cuiusuis alterius rei affluxus, vt cùm distenduntur auriculę cordis, ventriculus, vterus, vesica vtraque, penis, oculi pupilla. Motus quos facultas excitat ratinæ & definiti, quos materię appulsus incerti, nec statis recurrunt temporibus, nisi alteri subordinentur.



PIRITVS ἀεροειδεῖς ἄπτικτοι non ἄσπτοι, proxima sunt animę in obeundis functionibus instrumenta, quorum quis ad visum vsus sit & necessitas, demonstrat prohibitus eorum ad oculum influxus, à neruorum opticorum infarctu, aut stegnosi, quam venę & arterię, eorum comites assiduæ nonnunquam in πολυαίμοις excitant: hinc quippe pupilla est ἀκίνητος, oculus non videt, natiua eius vis & virtus quasi intermoritur: sin exiguus humidus affluat, videt, sed omnia διαφανῆ τυπῶτα; idem si multus, longissimè quidem videt, sed non exactè; si paucus, purus & αὐγοειδὴς, quę propè sunt dijudicat, non remota; idem si vberrimus ὀξυωπέστατος, ἀραχνοειδὴς tunica κατοπτρίζει, cornea distenditur, pupilla dilatatur.

Ergo à spirituum influxu pupillæ dilatatio. 206.

Propugnabit Lutetiæ MATHVRINVS ALTON Parisinus, A. R. S. H. M. DC. XXXI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Iacobus Theuart.	*M. Guillelmus Dupré.*	*M. Carolus Bouuart.* Prim. Christ. Reg. Med.
M. Vrbanus Boudineau.	*M. Philbertus Morisset.*	*M. Claudius Charles.*
M. Antonius Suart.	*M. Iacobus Cornuty.*	*M. Quirinus le Vignon.*